



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Quadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

Perillvstri, Et Generoso Domino Domino Carolo Comitia Strassoldo,
Ingolstadiensis, Academicæ, Maioris, Marianæ, Congregationis Præfecto
Meritissimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

LIBRARIUS
PERILLVSTRI, ET GENEROSO
DOMINO DOMINO

CAROLO
COMITIA STRAS-
SOLDO, INGOLSTADI-
ENSIS, ACADEMICÆ, MAIO-
RIS, MARIANÆ CONGRE-
GATIONIS
PRÆFECTO MERITISSIMO.



Inter multos, qui me obligatum tenent,
diu anceps fui, PERILLVSTRIS DOMI-
NE COMES, cui librum hunc de POE-
NITENTIA dedicarem. Præ omnibus
tu placuisti. Quando enim aliter non
possum, vel sic nomen tuum honorabo:
immò librum meum potius nomine tuo decorabo.
Academia nostræ decus es, quid ni & librum decorares?
Te inter primos videt Aurora Deo supplicantem, tum
Musis litterisque litantem; te Sol oriens vel in templis
sacrificio, vel in Musæis collegio, vel in scholis auditorio
præsentem inuenit; te Meridies in mensa non tam epu-
lantem, quàm de quæstione aliqua vtili dissertantem,
audit; te ipsum tempus animo relaxando tributum, cum
Mathematico cernit vel terras metientem, vel oculis ad
astra ascendentem, cælo visu pariter atque affectu affi-
xum; te serus Vesper non tesseriis & fritillis, sed libris;
non lusibus, sed Legibus vacantem aspicit; te Sol occi-
duus, non vine marcidum, sed scientijs irrigatum; non
Baccho & Cerere, sed Phœbo & Pallade plenum relin-
quit.

EPISSTOLA DEDICATORIA.

quit. Nox ipsa te obseruat in tenebris lucentem. Neq; enim per plateas, sed per omnis generis historias soles circumambulare. Hæc te omnibus commendant, siue priuatim colloquijs tuis eruditionem immisceas, siue publicè atque inter ipsos Doctores in alteram partem disputes. Hæc te, hæc Academiam nostram ornant. Neque hesternæ sunt encomia ista: talis eras, quàm diu nobiscum eras. Immo talem te fuisse in Italia quoque, liber penè grandi volumine, & laboratæ de tota Philosophia theses restantur, quas cum maximo plausu Bononiæ proposuisti à te propugnandas. Et propugnatas esse ita, Iurisconsulti experiuntur, quæ te cum voluptate audiunt nodos suos tam rotundè dissoluentem. Vno verbo multa dicam, in tanto Academicæ iuuentutis flore, paucos diceris tibi pares habere, nullum superiorem. Et quamquam ipse labor ac studium litterarum haud immeritò inter virtutes solet numerari, plerumque tamen & indicium est, & comes virtutù reliquarum. Itaque argumentum prudentiæ tuæ non necesse est aliunde petere. Vt enim nemo tempus & profectus sui occasionem negligit, nisi imprudens, & Epimetheus aliquis, ita quisquis serit cùm serendum est, prudens habetur. Quæ, prudentia, cùm teste Tullio, *sit rerum expetendarum fugiendarum hæ scientia*, tantò in te laudabilior est, quantò aliàs magis consuevit esse senectutis, quemadmodùm temeritas florentis ætatis; tantoq; altior, quantò longiùs prospicit, atque ea considerat, quæ sunt post hanc vitam secutura. Hinc tanta in te legum addiscendarum cupiditas. Quia iustitiam amas, vis, scire iusta. De alijs, qui ad iustitiam administrandam aspirant, & tamen ita litteris dant operam, vt ne scire quidem, quid iustum sit, velle videantur, quid sperari potest? In te

Cic lib. i. de
Offic.

spes est, & ea, quæ suspiciuntur in multis, si vel senes ostendant se affecutos. Rara res est, suavis grauitas, & grauis suauitas. Hinc nemo in te fugit grauitatem, nemo contemnit suauitatem; sermonem iucundum & & comitatem tam multi prædicant; modestiam omnes verentur. Hinc, quod alij difficulter admonitione, tu vultu facilè obtines, ne te præsentem quisquam ore effundat, quod aures contaminet.

Hæc tanta morum honestas, cum eximia pietate coniuncta, Parthenios Academiæ nostræ Ingolstadiensis Sodales mouit, vt te sibi præferrent præficerentque, taliq; & tam illustri Præfecto cætum suum exornarent. Quam voluntatem etiam porrò continuarent, nisi tu Reipublicæ maturus, abitum cogitares. Decreuerunt igitur, memoriam nominis tui aliquo publico monumento esse consecrandam. Existimarunt enim virtutis tuæ testimonium, Congregationis suæ esse ornamentum. Obsequi igitur volui illorum voluntati; præsertim cum vna eademq; opera, & Sodales meos, & *Exempla mea de Penitentia* tuis titulis laudibusque condecorarem. Quod tantò confidentiùs facio, quia non solum in his multa narrantur de casibus & admirandis operibus *Penitentia* Italarum, verùm etiam, quia scio, hunc librum sine suspitione mysterij, ei inscribi, qui prouinciatim, & vbique ita vixit, vt non fecerit pænitenda.

Nimirum stirpis tuæ est indoles, nusquam non gloriam promereri. Fulsit ante hac inter prima sidera, in aula Florentina, Parens tuus; quem nequaquam terris abstulisset natura, nisi tales virtutis hæredes ac successores reliquisset. Eadem via duo alij fratres tui gradiuntur. Neque degenerat, qui *Augustissimo Cesari Ferdinando III.* inter Ephebos, aut alter, qui in militia seruit. Sed

ante

DEDICATORIA.

ante omnes mihi, priùs quàm te nossem, ex eadem Cæsaris aula laudatus estis, qui in militia tam fortiter pugnando, pro eadem Imperatoria Maiestate, non solum fortunas & opes suas exposuit, sed etiam sanguinem & vitam profudit. Plus ei hostis dedit, quàm abstulit: abstulit mortalem vitam, & gloriam dedit immortalem. Itaque ante Iglaiam cecidit, vt inter heroës perenniter staret: inter octo scilicet familiæ tuæ à sexcentis jam annis florentissimæ bellatores (quorum duo Generales fuere) qui omnes pro Cæsare, pro Religione, pro Ecclesia impigrè & acriter militiam colentes occubuerunt, statuis & obeliscis digni. Tu quoque, si sic pergis, non solum paria facies, sed etiam longè emiaentiora, vt sicut inter CAROLOS, ita & inter MAGNOS numereris. Vale, & seu votum meum, seu vaticinium imple. Ingolstadtij, Anno salutis 1649. 16. Cal. Iunij.

Seruus in Christo

GEORGIVS STENGELIVS
Societatis IESV.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

Librum cuius, titulus est, EXEMPLA POENITENTIÆ ad diuinam *L*iram auertendam necessaria, à P. GEORGIO STENGELIO Societatis nostræ Theologo scriptum, atque à deputatis Patribus censum probatumq̃, Ego LAURENTIVS KEPPLER Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, facta mihi potestate ab Admodum Reuerendo Patre nostro, P. VINCENTIO CARRAFA eiusdem Societatis Præposito Generali, typis dari permitto, fidemq̃ facio mea manu, & officij sigillo, Tridenti 1. Nouemb. 1648.

LAURENTIVS KEPPLER.